



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
 DE
M O R B I S
MELANCHOLICO - MANIACIS
 QVAM
 DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
 ET
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS INDVLTV
P R O G R A D V D O C T O R I S
 MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
 SVMMISQVE IN VTRAQVE HAC SCIENTIA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
 DOCTORALIBVS RITE CAPESSENDIS
 DIE VII. MENS. MARTII A. CLO IO CC LXIII
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
 SPECIMINIS LOCO EXHIBET
 ET
 PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE
 OFFERT
 AVCTOR
LEON ELIAS HIRSCHEL,
 BEROLINENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE,
 EX OFFICINA VESTERIANA.

D I S S E R T A T I O N I N V A C A R V I S M E D I C Y
D E
M O R B I S
N E L A N G U O F I C O - M A N I C I S
G A V A N
D I A V I A N I N V A C A R V I S A P A T I C I S
G L A T I O S I S M E D I C O R A M O D I A M I N D A X I A
P R O G R A D A D O C T O R I S
M E D I C I N A E E T C H I R A R G I A E
S A M M A G A E I N A T R I O A E H C S E I N T A H O N O R I A E T P U N T E C C O
D O C T O R A T I A S R I T T A G A T E R B I D O S
D I A A U - W E I H M A N N I A S C D P C O Z I X I
I N A L M A R R G A Y R A T D E R I C I V I N A
S P E C I M E N I O C C O F U N K E T
P A M T I C E S S R A D I O R A M C I N E A R A T
O A T E R A
A A C T O L
L E O N D I L I S H I R S C H E I
H I R S C H I M E R
E X O T I C I N V A E P A T I C I A N A
H A L T E M A S T U R C I O S A T

HOC STADIVIA AVGVSTINIANVM
MCMV

V I R O
PRAECLARA ERVDITIONE ET DOCTRINA, EXCELLENTIBVS
INGENII DOTIBVS, SVMMO VIRTVTVM SPLENDORE, COMPLVRIVM
AMPLISSIMORVM MVNERVM DIGNITATE, ET MERITORVM
AMPLITUDINE LONGE SPECTATISSIMO,

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,
DOCTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,

D O M I N O
D. CHRISTIANO ANDREAE
COTHENIO,

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI ET ELECTORI
BRANDENBVRGICO A CONSILIIS SANCTORIBVS ET A
SANITATIS CVSTODIA,

REGIORVM EXERCITVVM MEDICO PRIMARIO
ET SVMMO, SVPREMI COLLEGII MEDICORVM,
DIRECTORI AMPLISSIMO,

VT ET

COLLEGII MEDICO - CHIRVRCICI, QVOD BEROLINI
FLORET, DECANO SPECTATISSIMO,
CIRCVLORVM QVORUNDAM MARCHIAE BRANDENBVRGICAE
PHYSICO LONGE CELEBERRIMO,

ACADEMIARVM IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM ET REGIÆ
SCIENTIARVM, QVAE BEROLINI EST,

NEC NON

COLLEGII SANITATIS BEROLINENSIS SODALI LONGE MERITISSIMO,

MAECENATI, PATRONO ET DOMINO SVO,
OMNI ANIMI SANCTITATE ET SVMMA
OBSEEVANTIA AETERNVUM DEVENERANDO,

HOC STVDIORVM SVORVM SPECIMEN ACADEMICVM,
PRAECLARA ERUDITIONE ET DOCTRINA EXCELSISSIMA
INCENI DORTMUNDO LITTERARVM EST
AMPERSANDO MATERIALE DIVERSITATI
AMPLISSIMO VARIETATE MINTURUM
AMPLIAMENTE LONGE SELECTASSIMO

VERA TESTIFICATIONE SUBMISSAE SVAE REVERENTIE,
PIETATIS ET OBSEQUENTIAE
D. CHRISTIANO ANDREE
CONSECRATVM
CORNINI
TOTINTISSIMO BORGESORVUM RHEI ET REFECTORI
PERZEPERATORIO A TRIPACIS SELECHORES ET A
SANTATIS CATORIA
REGIORVM EXERCITAVM MEDICO PRIMARIO
ET SUMMO, SUPREMIS COLLEGIS MEDICOVM
DIRECTORI VITISSIMO
AT ET
COLLEGI MEDICO-CHIRURGICO GUD BEROLINI
HORET DECVNO SPETATISSIMO
CHILOVORVM OVOVINDVM MARCHE BRIBONIARICION
HYSICO TONICUS CHIROPATHICO
ACCOLVORVM IMPERIALIS NATURAE CHIROPORVM ET RECIE
SCIENTIAKOM GAVI MEDICIN ET
AVCTORA
COLLON SEZITATIS LONGE MINTASSIMO
MAECENATI FALGORD ET DOMINO SAO
OMNI ANMI SANCTITATE ET SUMMA
OBSECVNTIA VETERINARIE BEAVERANDO

VIR
ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME,
MAECENAS ET PATRONE
AETATEM RELIGIOSISSIME ATQVE
IMMORTALITER DEVENERANDE.



Perimur forte TIBI, VIR INDVL-
GENTISSIME, videbitur, homi-
nem mei loci, neque natalium
splendore clarum, neque meri-
torum fama conspicuum, neque
vllis singularibus ingenii dotibus
ornatum, nec Tibi quidem, VIR HUMANISSIME
cognitum eo audaciae ac temeritatis processisse,
vt hasce leuidenses plagulas NOMINI TWO AMPLIS-
SIMO AC SPLENDIDISSIMO sacras esse veritus sit nul-
lus. Nec ipse diffiteor, Tvis oculis eas me non
sane vñquam subiicere fuisse ausum, nisi inusita-
tissima TVA HUMANITAS, quae in omnium, qui
TVAS excellentes virtutes norunt, admiratione
est, mihi gratam ostenderet spem, esse futurum,
vt temeritati meae, quae summa tua comitas in-
que omnes vere eruditos singularis fauor est, be-
ieuolentissime ignoscas. Quibus proinde fretus
et confitis, ILLVSTRI TWO NOMINI hoc qualecun-

LEON ELLIAS HIRSCHER

que munusculum quam demississime atque subie-
ctissime concinnare, cum summa meae in TE ob-
seruantiae immortalis et obsequii testificatione
non dubito. Suscipias igitur ardentissima ea et
maxime pia vota, quae meus TVI semper obser-
uantissimus animus in TE, Maeceas indulgentis-
sime, effundit, ut summus rerum Arbiter TE, VIR
ILLVSTRIS, cum omni gente Cotheniana, sospit-
tem semper, saluum atque omnibus decoribus
florentem ad Nestoream conseruet senectutem,
Tibique cuncta tua incepta et negotia nunquam
non fausta, felicia fortunataque, ex animi senten-
tia, eueniant, vt in misere ex morbis decumben-
tium salutem et solatium cedant: mihi met vero
perpetuam Tuam gratiam et benevolentiam cu-
stodiat, est quod omnibus precibus orat exop-
tatque

V I R

ILLVSTRIS, EXCELLENT. DOCTISSIME
ATQVE EXPERIENTISSIME
SPLENDIDISSIMI TVI ET AMPLISSIONI
NOMINIS

OBSERVANTISSIMVS ET SVBMISSISSIMVS
CVLTOR ET CLIENS

LEON ELIAS HIRSCHEL



DE
M O R B I S
MELANCHOLICO - MANIACIS.

§. I.

Cum in hoc specimine inaugurali animus mihi sit, de morbis mentis nulla acuta febre comitatis, agere, de melancholia dicere ingrediar: quia humano generi frequentior esse obseruatur nec insolenter in maniam degenerare. Mutatur hic morbus suam denominationem a Graeco μελανω i. e. nigra, et κολη i. e. bilis; quod bilis atra veteribus eius causa esse credita est.

§. II.

Est vero melancholia peruersa atque erronea imaginatio sensualis vel, si malueris, phantasia, vni ideae constanter et pertinaciter ita inhaerens, vt ea non nisi

A 2

aeger-

aegerrime ex animo emoueri euellique queat, nulla febre stipata. Prout igitur huius ideae obiectum gratum fuerit vel ingratum: ipsa quoque melancholia vel tristis erit vel iucunda, quibus vtrisque nonnulli Medentium tertiam melancholiae speciem adiungere visum est, ipsis mixtam vocatam. Tametsi vero ista Melancholiae distinctio, ab idaeae obiecto deducta, haud sane iniusta ratione est suscipienda: iustiore tamen ratione mihi eadem, cum Doctiss. Cartheusero, ab ipsius mentis conditione, in tres species distingui posse videtur, velut α in $\delta\upsilon\theta\mu\pi\alpha\tau$, (a Graeco $\delta\upsilon$ i. e. aegre, difficulter, et $\theta\mu\pi\alpha\tau$ i. e. animus, deriuatam) vbi homines difficillima natura et asperitate sunt, ideoque cogitabundi, tristes et morosi, ita vt rebus, alias sibi iucundissimis, vix oblectentur. Certae ideae phantastica non semper iidem inhaerent. Ceterum in rebus perspiciendis et diiudicandis ab aliis mortalibus, sana mente praeditis, nihil dissident. Hinc quoque leuissimus quidem melancholiae est gradus, sed ad alterum huius morbi gradum, iamiamque mihi nominandum, expeditissimus. β) In $\alpha\varphi\iota\lambda\alpha\tau\theta\mu\pi\alpha\tau$ (ab α priuatiuo, $\varphi\iota\lambda\alpha\tau$, i. e. amans et $\alpha\vartheta\mu\pi\alpha\tau$, i. e. homo, deductam) vbi homines longe sunt tristiores, morosiores et austriores, quam in superiore melancholiae specie, ita vt haud insolenter vano metu exterreatur, crebra et alta suspiria edant, quin etiam subinde lacrimas satis effuse profundant. Quid? quod hoc malo impliciti vnam semper et certam ideam animo

animo velut assidue agitare solent, nulla ratione extingibilem; quae frequenter tam alte in eo insidet, vt aliarum rerum vix vilius habeant rationem, sed plane earum obliuiscantur. Nonnulli solitudinis adeo cupidi sunt, vt non celebritatem modo oderint, sed ipsos etiam homines fugiant. Interdum vero vsque adeo exhilarati deprehenduntur, vt effuso risu et cachinno concutiantur, qui subinde in risu Sardonio animaduertitur terminatus, nisi forte in tempore conuenientibus praesidiis subueniatur. Hisce melancholiae speciebus adnectimus, praeeunte. Cartheusero, γ) tertiam, *απωθεωπίαν* ipsi appellatam, in quam identidem incident altero melancholiae gradu affetti et paulo ante a nobis commemorati. Oritur vero hic gradus, symptomatibus *αφιλανθρωπίας* in maius augescens tibus atque incrementibus, vbi eiusmodi melancholicis tantum societatis odium est, vt etiam alias sibi carissimos et amicissimos, subinde odio habeant. Non raro sibi persuadent, se in pecudes vel fera animalia mutatos esse; aut vita defunctos: nonnulli sibi a daemone quodam obsessi videntur, et homines creduli magna cum religione idem contendunt. Alii a cibis abstinent, persuasi, se ne vivere quidem amplius. Quidam hoc morbo grauisse affecti interdum mortem, ipsis alioqui maxime terribilem, sibi consciunt et manus violentas inferunt. Arteriae hoc malo conflictantium pulsum agunt tardum: quia sanguis fluidissima sui parte orbatus; est

A 3

respi-

respiratio est lenta· quia sanguis nimis spissus, quo hu-
iusmodi aegri vtuntur, per pulmonum vasa, inque pri-
mis per rete vasculosum Malpighii, fertur tardissimus.

§. III.

Expeditum quoque erit melancholiā hanc a phre-
nitide et mania discernere. Nam illa sine febre acuta
est: phrenitis vero semper febrem inflammatoriam sibi
habet coniunctam: consistit quippe in meningum cerebri
incendio: praeterea breuioris est decursus: melancholia
vero est longioris temporis morbus nec raro satis diutur-
nus, ita vt aliquando etiam complures annos perduret.
Deinde etiam facile distinguitur a mania: quamuis enim
haec a melancholia gradu differat nec raro huius proles
sit: in eo tamen a melancholia dissidet, quod maniae sem-
per saevus furor indiuulsus haeret comes, plerumque
etiam ingens fastus et superbia; quae in melancholicis nun-
quam obuia sunt. Interea negari non potest, quin inter-
dum melancholia in maniam degeneret, symptomatibus
eius sensim in dies inualescentibus inque deterius mutatis,
omnium maxime si primis morbi initii Medicus non ob-
stet, sed sero medicinam paret.

§. IV.

Dispesci etiam solet melancholia in idiopathicam et
sympathicam, cum ratione caussarum, tum methodi me-
dendi.

dendi. Namque illa ex nullo aio praeuiio morbo originem suam trahit, nisi ex solis affectibus, animo vndelibet concitatis: haec vero natales suos semper dicit ex obstructis visceribus, vel a sanguine nimis spisso, lentius iusto ac difficilis per viscerum vasa, inque primis per venae portarum alueos, fluente. Ex quo fit, vt vitalis latex, per corporis vasa tardius ac difficilius prouolutus, vberius affluentiusque ad cerebri vasa feratur, vbi praeter modum cumulatus efficit, vt mens varias inanes species sibi figuret.

§. V.

Causa proxima seu inmediata mali huius est sanguinis spissi vberior et copiosior in tenerima cerebri vasa illapsus atque impetus, qui ita congestus et cumulatus, lentissimo motu per ea percoluitur: hinc in iisdem moram trahat, necesse est. Et quoniam eius per cerebri canaliculos motus quam plurimis difficultatibus est obstructus; minime mirum est, a tam difficiili atque impedito eiusdem progressu, menti tam turbidos animi motus et anxias aegritudines incuti. Ad causas autem proctarcticas, seu occasioales, quae huic malo faces subdunt, omnia ea refero, quae fluidas seu liquidas partes de humoribus auferunt; liquidis enim tenuioribus, quae sanguinis globulis rubicundis interfusa haerent, eorumque concretionem impediunt, sublatis, ipsos globulos mutuo ample-

3. DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS

plexu inter se iungi atque ita in maiores massulas den-
sari, necesse est. Quod si vero sanguinis tantus est len-
tor tamque tardus per cerebri vasa motus, ipsius quo-
que delibatissimi neruorum liquidi secretio magnam inde
iacturam faciet. In censu vero causarum procataretrica-
rum potissime numeranda veniunt nimia studia, cuiusmo-
di sunt crebrae et diurnae meditationes atque immoder-
atae animi contentiones laboresque. Nam omnes actiones
animales et vitales subtilissimum fluidum nerueum su-
am caussam effectricem agnoscunt; hoc ipsum vero assi-
dua meditatione dissipatur. Non ignoro quidem, fluidum
hoc tenuissimum etiam motu musculari consumi; sed per
eundem motum muscularum fluidum hoc etiam promouet-
ur, sanguine maiori in copia ad vasa secretoria pre-
fuso: sic ex caussa iacturae etiam fluidum mouetur. In la-
boribus mentis autem, cum corpus vacata labore et quiet-
scit, sanguis ad vasa secretoria aegre adpellitur, damnum
que facit huiusmodi subiectum irreparabile. Philosophi,
omnium maxime mathematici, cum saepe vni rei sint
diutius iusto intenti, ideo prae aliis ei malo obnoxii ani-
maduertuntur. Celsus dixit in praefatione sua: discipli-
nam litterarum ut animo praecipue omnium necessariam,
inimicam, in primis, si ultra modum extenditur, cor-
pori, qua de caussa motus corporis coniungi debet exer-
citio mentis, immo variatio studiorum iucat, ne mens in
vna eademque meditationi semper infixa sit: Illi proinde
litte-

DE MORBIS MELANCHOLICO-MANIACIS. 9

litterati, qui funguntur eiusmodi munere, quod cum exercitio quodam corporis coniunctum, melius se habent semper, illis, in litteras se abdenteribus. Vigilia nimia etiam consumit fluidum subtilissimum, et nisi illud per somnum resarciri poterit, (quod fit, eo interrupto,) quamvis corpus lautis cibis nutriatur, aptum tamen hoc ad labores sustinendos vix redditur: chyli enim elaboratione ad vires reficiendas opus erat. Quia autem motus peristalticus, amissis fluidis, debilitatur, cibi crudi quasi relinquuntur. Animi pathemata, terror vehemens, ira, gaudium immoderatum, moeror maxime et tristitia eiusmodi sunt. In his vero facies pallet et anxietates circa praecordia percipiuntur. Sic, fluido amiso, crux valde spissus redditur et magis partes terrestres et oleosae inter se coëunt. Tristitia quoque somni imminuti caussa est, propter ideam illam, semper in animo fixam. Immodicae excretiones sudoris, et alii, per purgantia fortiora excitatae, defectus suffici-entium potulentorum; cibi flatulenti et concoctu difficiles,abusus spirituorum; venus etiam immodica, humores inspissant. Galenus iam dudum notauit L. 6. de sanitate tuenda c. 14. corpus non solum dissolui, sic-cum, gracile pallidumque fieri, sed et cauos oculos spe-ctari. De his nihil dicam, qui saepe a sacrificiis veneris dona iusta acceperunt. Febres acutae praegressae, quibus calor immodicus coniunctus fuit, in primis diluentibus ne-glectis, crux rem, fluidis dissipatis, magis compingunt.

B

Gale-

Galenus ait de atra bilere c. 6: vbi humiditas in morbis ardentibus deficit, atrum exire sanguinem e naribus. Intermittentes febres, si febricitantibus, perseverante febre, sudor largius effusiusque manauerit: sudoribus enim liquidiora separari a cruento, neminem latebit. Sanguis melancholicis est spissus, niger, ater, ut ex superioribus iam constat. Copiosas terrestresque partes et oleosas in Sanguine delitescere, Chemiae peritos haud fugit. Quando fluida pars sanguinis expulsa, leni ignis tortura, et restorta transcendit; et tunc, aucto ignis gradu destillatio continuatur, prodeunt inde olea acria et salia. Nonne idem sanguini putas euenturum, corpore humano nimis sudoribus manante?

§. VI.

Fluidis partibus sanguini orbato terrestres et oleosae moleculae relinquuntur, oportet. Caeve vero, misceas hanc spissitudinem cum inflammatoria sanguinis diathesinam spissitudinis inflammatoriae caufa est nimium auctus et rapidus sanguinis per vasa corporis motus; vnde a maiori eius attritu maior caloris gradus liquido vitali conciliatur, et partes tenuiores aquosae dissipantur. Hinc non mirum est, ferri et lymphae globulos in mutuos contactus ruere, sicque spissitudinem phlegmonoidem sanguini inferri.

§. VII.

DE MORBIS MELANCHOLICO-MANIACIS.

§. VII.

Prognosis melancholiae idiopathicae, quae in solis imaginationibus et ideis consistit, est, quod haec curatu difficultima est multoque aegrius medicamentis, quantumvis optimis, cedit, quam illa melancholiae species, quae sibi suam sedem fixam in viscere quodam vel sanguine habet, cuiusmodi est melancholia hypochondriaca, quippe quae, haemorrhoidibus ei superuenientibus, vel in sexu faemino, mensibus reuertentibus, perfaepe depellitur, dummodo satis opportune appareant.

§. VIII.

Methodus medendi in melancholia est duplex, prout vel in sola mente insederit, vel simul in viscere quodam corporis sedem sibi suam posuerit. Ratione corporis congestiones a capite ad inferiores eius partes sunt deriuandae, id quod omnium optime fit venae sectione, in pede instituta, vt et pediluvii et balneis, crebro repetendis, et, capite prius raso, aquae frigidae perfusione, vesicatoriis, frictionibus inferiorum partium, temperantibus circa noctem datis, pulueribus nitrosis, cum salibus mediis commixtis et dosi largiore exhibitis; potibus diluentibus, diureticis, praecipue saponaceis et salibus alcalinis. Causa et modo, vbi maior spissitudo est, a tineturis spirituosis. Neque purgantium hoc in malo est Medicō obliuiscendum.

B 2

§. IX.

§. V IX.

Scio quidem, a nonnullis purgantia validiora et
actiuora, vt et sudorifera commendari; sed, meo quidem
iudicio, talia medicamenta huic morbo non conueniunt,
cum caufa huius affectionis in spissitudine, omnibus Me-
dientibus id uno ore fatentibus, consistat. ^{be}Talia vero
medicamenta si propinentur, eandem augent: per draſtica
enim medicamenta fluida euacuantur. ^{lb}Praecipue ab aloet-
icis, helleborinis et resinosis, abstinentum est, excepta
melancholia, ab haemorrhoidibus non rite succendentibus,
orta, vbi sic dicta medicamenta specifica, diluentibus
intermista, si nullae aliae circumstantiae id prohibent, ad-
hiberi possunt. Sunt vero huiusmodi aloë, myrrha, cro-
cus, caetera.

§. X.

Cibi concoctu faciles esse debent et in primis succulen-
ti, ex carnibus animalium iuniorum parati. Ex regno
vegetabili huc quadrant fructus horraei maturi, olera mol-
lia, e. g. spinachia, endiuia, borrago, buglossa, mel
cum fero lactis dilutum et magna copia tam diu haustum,
donec aliuus soluatur. Ptisanae quoque cum melle mistae,
et aquae soteriae, tam ad vsum internum, quam exter-
num, quas perillustris de SWIETEN in cap. de morbis chro-
nicis in commentariis ad aphor: BOERHAAV. laudat, in
thermis, inquiens, aqua natuuo calore laxat omnia et
emol-

emollit, venis bibulis se insinuat, sanguini permiscetur, per obstructa loca alluit, et, si potentur simul salubres illae aquae, tutum et potens habetur; remedium, ut moles concreta in vasis obstructis attenuetur et soluatur etc. Somnus eiusmodi aegris concilietur, neutiquam vero opiatis et somniferis, sed instrumentis musicis, quibus etiam tristitia discutitur, vt iam olim Celsus notauit
L. 3. c. 7.

§. XI.

Aér siccus et calidus est huiusmodi aegrotis vitandus, et potius humidus eligendus ac tepidus; sic vasa resorbentia fluidum, ex aëre haustum, sanguini spisso affundunt: ver ideo, vbi temperies aeris est, tempus aptissimum ad curandam melancholiā putem. Ingrata idea, animum diu noctuque versans, ex eo excutienda est multifariis oblationibus, blandis alloquiis, frequentibus in locis hortisue amoenis ambulationibus, peregrinationibus, cetera, quo efficitur, ut menti semper alia atque alia obiecta obliquantur spectanda, et ita animus ab illa cogitatione, penitus ipso insidente, sensim abducatur. Quo etiam nomine hisce aegrotantibus soterii fontes bifariam conducunt: primum sua virtute crassum sanguinem diluente, vt iam supra perhibitum fuit: deinde plurifariis illis delectationibus, quas acidularum potatores, cum ex itinere ipso, tum ex sodalium consuetudine, in eiusmodi locis

capiunt.

capiunt. Consentaneum enim est, non facile vlla alia re eiusmodi cogitationem, quae in animo penitus infixa sedet, ex eo deleri posse, nisi assidua illa obiectorum mutatione et varietate, modo malum hoc non ex quapiam viscerum labe fuerit exortum. Opponenda quoque sunt dictae ideae contraria, velut tristitiae hilaritas, metui fiducia, irae metus.

§. XII.

Species melancholiae etiam datur, quam vocant nostalgiā vel etiam pothopatridalgias, ex πόθῳ desiderium, πατρὶς, patria, et αλγός, dolor: denotatautem haec immoderatum, anxiū et plane insanū desiderium redeundi in patriam. Morbo hoc exorto, aegri initio tristes sunt, confortia et mores peregrinorum vehementer fugiunt, solitudines amant; leuissimis de caussis irascuntur, patriae et morum patriorum memoriam semper fere adhibent. Morbo pedetentim in maius augescente, graviora symptomata ei coniunguntur; velut tristitia perpetua, difficilis et frequens respiratio somnus inter ruptus nec reficiens, immo interdum quoque ἀγενία seu peruigilia se ei socia adiungunt, appetitus ciborum prostratus, languor et virium defectus, corporis macies, palpitatio cordis cum anxietate praecordiorum coniuncta, stupiditas, cetera. Et quo minor spes redeundi in patriam hoc malo affectis superest, eo magis cuncta symptoma-

ptomata ingrauescunt, ita ut arteriae inordinatis pulsibus agitentur, modo enim celerius et languidius, modo crebrius et fortius micant, ciborum appetentia magis magisque languescit, tandemque velut moerore conficiuntur, nisi morbo ingrauescenti tempestive occurratur. Quam optime igitur cum huiusmodi aegrotantibus agitur, si eis in patriam primo quoque tempore reuertendi copia datur: quamdiu enim non domi, sed peregre sunt, tamdiu omnis medicatio est vana irritaque; ubi vero in patriam fuerint reuersi, expedita est et facilis huius morbi curatio; dummodo aegris viscera adhuc salua sint atque integra: sublato enim illo impenso patriae desiderio, quo eorum animus die nocteque torquetur, breui post corpus suas vires et pristinum vigorem saepe sua sponte recipere solet. Quoniam igitur hoc malum sanatu est facillimum, si modo viscerum sana adhuc sit constitutio, nihil sane est, quod eius medelae heic immoremur. Quamprimum enim lares suos patrios reuiderint, statim melius habere incipient et reualescunt: quod si vero quacunque de causa peregrinari coacti fuerint, nulla conualescendi spes est, sed, morbo sensim pedetentimque increbescente, tandem tabida febre extinguentur.

§. XIII.

Iam quoque mihi videtur tempus dari agere de mania, quae vox deriuatur a *μανίας*, i. e. infanio, et melancholiae

choliae inueteratae soboles est distatque ab hac duntaxat gradu. Est vero mania delirium acutissimum, magna cum audacia coniunctum, itidem a corrupta phantasia natum, cui vt plurimum effraenatus quidam et paeceps furor comes haeret. Homines, hoc morbo implicati, creberrime iracundia exardescunt ita, vt in se circumstantes acerbissima probra iactent et minas, cum vultu tetrorimo et toruissimo; immo interdum vsque eo saeuunt, vt quasi ferae et immanes belluae in obuios sibi quoscunque vnguisbus, pugnis, iracunde rabioseque inuadant. Nonnulli eorum, qui praesertim temperatura sunt sanguinea, in tam immoderatum effunduntur risum, vt cachinno concutiantur: aliis magis ad venereum libidinem pronis, quam et vultu, et obscenis verbis, satis subinde produnt. Quomodo mania a melancholia diffideat, iam supra ostensum est; quemadmodum quoque a phrenitide, vt pote quae semper acuta febre stipata est, cuius mania nunquam non exsors deprehenditur, distet, pariter ex ante dictis satis liquet. Et si quando etiam febris quaedam cum mania consociata esse deprehenderetur, illa non tam ex ipsa mania enascitur; sed ex longe aliis causis emanando maniae se adiungit sociam. In primis vero commemorabile est, maniacos plerumque ingenti corporis robore ita pollere, vt vix ac ne vix quidem a pluribus hominibus, ipsos circumstantibus, coerceri cogique queant. Praeter incredibile hoc corporis robur, quo praediti conspiciuntur, patien-

tientissimi quoque sunt frigoris acerbissimi, inediae satis saepe diurnae, perugilii, aliorumque rerum, perpetuū durarum et asperarum, ita ut nihil fere quicquam molestiae indidem sentire videantur. Tantae etiam sunt temeritatis et audaciae, ut periculosissima quaeque obire nihil timeant, ira praesertim ipsis conferuescente inque furorem agitata.

§. XIV.

In hoc morbo defunctorum cadaueribus apertis cerebrum siccum, durum, friabile et in suo cortice flauum; vasa autem turgentia et atro crvore infarcta et praeter modum distenta fuisse reperta obseruationum medicarum monumenta produnt. Omnes quoque insuper excretiones in huiusmodi mortalibus fere cessasse, animaduersum est: id quod non facile mirum videbitur curatius consideraturo, illam humorum, quos suis in vasis alunt, spissitudinem insolitam, vasculis minimis secretoriis et excretoriis subeundis minus habilem. Liquido etiam indidem cuiuis apparituram esse censeo causam, quare vitalia liquida in cerebri vasis tam facile moras nectant, in primis aequa animi lance per pensuro, stupendam illam exiguitatem istorum canaliculorum, quibus cerebrum confectum est contextumque. Quae quum ita sint, spectatissimum esse debet, cur, ut secretiones, ita etiam excretiones maniacis imminutae sint. Et quia sanguis propterea copioſior et citatior per vasa corporis conspectiora et maxima-

C

fertur

fertur liquidum inde est, cur maniacis tantus sit corporis calor, vt nihil a rigore afficiantur. Durus etiam notatur ipsis esse arteriarum pulsus, propter vasculorum minimorum, earum membranas contexentium, obstrukiones. Cutis eisdem quoque nunquam madet, sed semper fere arida est, quod nihil sudoris fecernitur in vasculis subcutaneis. Tam immoderata cupidine in venerem feruntur, vt mulierem videntes, sibi temperare nihil omnino ab ea et abstinerre possint, dummodo ipsis copia cum foemina quadam coëundi fuerit facta. Nonnulli, quibus occasio cum mulieribus concubandi denegata est, nefando subinde modo sibi spernia prölicent et ludicre profundunt. Nec id mirum est, quum complura exempla eorum in monumentis obseruatorum exstant, qui insano puellae cuiusdam amore capti nec sui voti compotes facti, in furorem seu insaniam fuerint acti, quod morbi peculiari nomine *ερωτοκανία* appellari solet, quam heic data opera pertractare supercedam, gratam breuitatem amans.

§. XV.

Morbus hic multoties subito mortales adoritur. Nonnunquam vero ei praecedunt multiuga mala, veluti *ἀγρια*, somnia terribilia, vehementes capitis et aurium doles, *μαρμαρυγαῖ* siue oculorum fulgores et corruscationes, phlogoses capitis, frequentes nocturnae pollutiones, summa ad iram proclivitas. Et interrogati interrogantibus subinde ferocissime respondent. Sunt etiam aliqui mania-

maniacorum tam maligno sunt animo, vt, quantumuis amicitiam simulent, tamen amicos suos sibi carissimos occulte, subdole et maligne adoriantur, eos interfecturi. Sanguis maniacorum venae sectione detractus, cum impetu et torrentis in modum inde erumpit, et vase exceptus, colore satis rubicundum refert; at quieti commissus sibi-que relictus, breui post in crustam velut concrescit solidescitque, pici haud multum absimilem, ruborem tamen adhuc prae se ferentem, sed nihil quicquam seri exhibentem, WEDELIO Auctore in patholog. general. p. 601, et in special. p. 16. Tandem quoque paucis vel huius afflictionis distinctio designanda venit, qua a Medicorum filiis, quemadmodum melancholia, in idiopathicam partitur et Symptomaticam. Illa, sine ullo praevio morbo, ex inani quadam specie, quam animus sibi figurauit quaeque in eo fixa sedet immotaque, enascitur: haec vero semper ex quopiam alio morbo vitioque corporis praegresso, oritur.

§. XVI.

Opportunum quoque nunc erit huius mali fontem et caput, vnde emanauerit, breuiter contemplari. Est vero maniae effectrix causa humorum impetuosa ad caput congestio et eorum coaceruatio in cerebri tubulis sanguiferis, per quos citationi velutique rapidiori motu, quam pro animi sanitate, agitantur. Minime proinde mirum est, liquidum nerueum quoque ex iis affluentius secretum, et concitatius, et copiosius in ipsos partium neruos pelli;

C 2

id

id quod quum vniuersis partibus motricibus mouendi vim
suggerat seu suppeditet, clarissime inde apparebit, vnde
maniacis tam immane muscularum robur et corporis vi-
res exoriantur. Nec arduum erit indidem intelligere, cur
algoris et perwigilii tolerantissimi sint, ita vt dies noctes
que perdiu insomnes ducere valeant, nullo vitae sua*e* di-
spendio subseque*n*t? Perspicuum etiam ex eo arbitr*e*r fu-
turum, quam ob rem in animi rabiem seu furorem agitent-
ur, sic vt omnia audacissime incipient et temeraria ratio-
ne perpetrent? Quid? quod cur libidine co*ë*undi tam ve-
hementer flagrent? quae cuncta aliaque plura id genus,
maniacis solennia, nullo negotio deinceps explicatoria
dare possem, si mihi expediret et liceret esse longiori,
quam instituti ratio permittit.

§. XVII.

Quod vero ad causas attinet procatarcticas, eiusmo-
di humorum ad caput congestionibus viam sternentes,
quas in arctum enumerando cogere placet, melancholia
praegressa et diurna primum venit annotanda, quippe
quae, experientia loquente, frequenter in maniam dege-
nerare solet et gradu duntaxat ab hac seiu*ë*cta obseruatur.
In hunc censum quoque praeuiiae febres intermitentes
deferendae sunt, omnium praecipue inueteratae, aut simi-
stra seu peruersa medicatione exceptae aliquo modo sup-
pressae. Praeter has quoque causas omnium viscerum in
abdomine conclusorum labes, velut infarctus, obstructio-

nes,

nes, scirri, cetera, hoc causarum numero habendae sunt, ut quae pariter capitis vasa sanguine inundari et obrui efficiunt. Ipsa quoque plethora, praesertim si spissitudine stipata est, huiusmodi inundationi vasorum capitis viam pandit. Praeterea quoque ipsum temperamentum cholericum, vel melancholico-cholericum huic morbo procreando perquam aptum notatur. Omnes quoque animi impetus, commotiones affectionesque, si nihil moderati habent, maxime ira, terror, impensissimus amor, cetera, talibus congestionibus viam potefaciunt. Cuncta etiam studia et meditata, quae animum nimis acriter ac diu rei cuidam agitandae intendunt, itidem humores in sanguinoscaphitis alueos congerunt. Spectant huc quoque omnia potulenta spirituosa atque inebriantia, si se homines, huic malo opportuni, iis quotidie idque ad crapulam ingurgitant: ut et cuncta esculenta valde calefacentia et acribus aromatibus largiter condita, ut quae nimium sanguini aestum et motum concitant, maxime si homines huiusmodi eis crebrius et copiosius, quam pro valetudinis ratione, vescuntur. Ipse quoque potulentorum defectus, si parcus bibuntur, quam humorum iusta tenuitas exigit, talium causarum numero referendus est. Eiusdem quoque huius efficaciae sunt somniferorum seu narcoticorum abusus, vel certe intempestiuus eorundem usus, ut pote quae incaute nec tempestive adhibita, cerebro ac nervis stuporem et ~~anxię~~ inferunt. Pertinent huc

C 3

etiam

etiam vniuersa, quae massam sanguineam tenuioribus suis liquidis exhauriunt atque orbant, hocque pacto crassiores reddunt; cuiusmodi sunt, quae liquidiora per alum, diuresin ac diaphoresin e corpore exterminant, si iusto et aequo largius ac frequentius propinentur, velut omnia medicamenta purgantia validiora, sudores nimii et diutini, siue medicamentis, siue corporis exercitiis vel laboribus excussi, crebriores diureses quoquomodo vel medicinis, vel alimentis, proritatae. In causarum quoque occasionalium numero referendae sunt haemorrhoides vnde cunque interturbatae vel nimium imminutae et quoquo pacto suppressae; vt et menstrua quoquo modo profluere prohibita aliae ratione cohibita aut praemature cessata; sanguinis solennes et visitatae missiones vel neglectae, vel intermissae, vel plane omissae; scabies aut aliae cutaneae efflorescentiae, quocunque velis nomine alias appellatae, si retrocedant sua sponte, vel arte retropellantur; vlcera antiqua ab exterioribus ad interiora retroacta et complura huiusmodi alia, hoc loco enumerari haud necessaria. Haec vniuersa eiusmodi sunt, vt sanguinea liquida abundantius in cerebri vasa congerant, eoque pacto maniae prognosticae faces subiiciant.

§. XVIII.

De prognosi seu euentu huius mali meminisse tantum expediet, illud si iam diu perseverauerit altasque radices in corpore egerit, omnem plerumque medelam eludere

dere, nec ullis vel optimis medicinis adhibitis cedere. Id quod etiam de eodem valet, a parentibus ad liberos haereditate propagato, utpote cuius sanatio semper in casum it siue ad irritum cadit. Quin etiam si huius mali prouentus solis animi affectionibus debetur, vix ac ne vix quidem vnam ex mente extipari se radicitus ac tolli sinit, quantumvis vel saluberrima quaeque remedia ei adhibueris. Sin vero insania haec symptomatica fuerit, ex corporis et humorum vitiis enata, omnino interdum spes eius curandae, dummodo in tempore salutaria remedia ei proponuntur, affulget.

§. XIX. *de morbis maniacis*

Iam in eo est, ut etiam perspiciamus, qua via huic malo mederi, quoad eius fieri potest, debeamus. Si ipsam corporis naturam, nobis in hac calamitate tollenda praelucentem, consulimus, obseruando notabimus, hunc morbum sponte naturae multoties, haemorrhoidibus ei superuenientibus et rite succendentibus, solui ac funditus tolli, quippe quibus sanguis, a capite ad sedis venas deriuatus, ex corpore effunditur et eius abundantia ita admodum imminuitur seu ad iustam copiam redigitur. Aliquando eundem, accendentibus largis diarrhoeis diuque continuantibus, sanari deprehendimus; quod sanguinis vberitas, cerebri vasorum alueos inundantis, et a superioribus nunc ad inferiora conuersi, itidem, atque haemorrhoidum profluio, insigniter dimuitur. Animaduertimus quoque eundem,

eundem, dysenteriis exortis, feliciter subinde depelli. Haemorrhagiis quoque sua sponte obortis, et satis large effuseque procedentibus, mania persaepe funditus sublata esse, obseruatoribus traditur. Annotatum quoque est in obseruationum medicarum monumentis, febrium intermittentium, velut tertiana, quartanae, prouentu, maniacis insaniam haud insolenter suisse depulsam. Quae etiam aliquando curata esse scribitur, hydropes huic malo se associante.

§. XX.

Medico proinde, maniam curatum ituro, omnium praecipue ad eius causam est respiciendum, quod, ea non intellecta, omnis medicina inanis erit. Quum itaque proximam huius mali causam esse perhibuerim sanguinem, magna vi et copia cerebri vasa influentem atque inundantem, Medenti nihil prius, nihil antiquius quicquam esse debet, quam vt, primo quoque tempore, sanguinei riui cursum a capite ad inferiora corporis deflectat, eoque pacto cerebri vasa liquidorum vitalium mole inundante levet. Id quod optime efficiet, si solennes quandam sanguinis excretiones, quoad eius fieri poterit, velut haemorrhoides maribus, et menses foeminis, quantocius restituendas curauerit, inque iustum ordinem et fluorem redigendas. Vbi vero, quod expectauit, haud fuerit assecutus, illico humorum exsuperantium, praelarga sanguinis detractione, in pedibus administranda, et, vrgente necessitate.

cessitate, aliquoties iteranda, imminuere conuenit. Quibusdam Medentium solenne est, praemissa sanguinis missione vniuersali, in pedum venis suscepta, breui post tum melancholicis, tum maniacis, venam frontis incidere, aliis id minus probantibus et aperte confitentibus, inde parum si forte quicquam, adiumenti huiuscemodi aegris ad malum depellendum afferri, id quod in medio relicturus sum, nondum mea ipsius obseruaticne expertus, an tantus venae frontis sectionis vsus, quantus ille aliquibus praedicari solet.

§. XXI.

Praegressae igitur plethorae imminutioni, cunctis maniacis, vt pote sanguineo liquido abundantibus, per quam necessariae, continuo subiungenda sunt potulenta tenuia satisque diluta, in dies affatim aegrotanti haurienda, vt huius sanguini nimium spisso, amissa tenuitas ac debita fluxio refaciatur. Potui ergo eisdem dandae sunt ptisanae sufficienter dilutae, decocta, infusa aliaque huius generis, quae humorum lentitiam attenuant. Et si forte aegroti a potulentorum vsu largiori abhorrerent, ea bibe re recusaturi, exiguis quidem, sed crebrioribus haustibus danda sunt, additis blandioribus alloquiis, quo libentius iis vti moueantur. Praeter haec clysteres emollientes, modiceque stimulantes, saepius ano iniici expediet, vt qui, intestinis relaxatis, efficiunt, vitalia liquida vt reuolu-

D

tur

tur a superioribus ad inferiora. Cui quoque fini condu-
 cunt pediluuia, crebrius in vsum vocata, quae itidem re-
 laxando sanguinis cursum a cerebro ad partes infernas de-
 flectunt. Nonnulli suadent, eiusmodi afflitos statim in
 mare aut fluum praecipitandos esse, inque eo tam diu
 demergendos, quam diu id ferre possint, quod remedio-
 rum omnium foret praecipuum ad hunc morbum profligan-
 dum; fortasse inde persuasi, quod rabie canina seu hy-
 drophobia affectorum demersio, in flumine, si continuo
 seu statim a morsu instituitur, huic malo remedium esse
 cognoscitur praesentissimum; ob nullam aliam rationem,
 vt mea fert opinio, quam quod ingenti illo terrore, quam
 eiusmodi homo, praeceps in mare seu amnem datus, in-
 didem persentiscit; menti eius alia idea eademque multo
 viuacior ac validior, quam prior erat, fuit incussa; quae
 proinde terroris idea, quum cogitationi illi praegressae et
 ab canis morsu obortae, vi atque efficacitate longe supe-
 rior sit, hanc exstinctam prorsus ex animo delet atque
 excutit. Consentaneum igitur est, hoc remedii, nullis
 aliis ei obstantibus, aliquando maniae idiopathicæ non
 inutiliter proponi, modo id fiat satis opportune. An
 vero maniae symptomaticæ conferat, id affirmare non
 facile auferim: quia haec vel labefactata et obstructa vis-
 cera; vel humores affluentes et vna nimis lentos; vel
 utraque simul suam causam agnoscit.

§. XXII.

§. XXII.

Neque satis est, hac in calamitate, conuenientia remedia extrinsecus aegrotis talibus duntaxat admouisse; sed necesse etiam est iisdem de medicinis internis prospicere, ut sanguis a capite ad inferiora corporis assidue deriuetur, glutinosa eius spissitudo attenuata dissoluatur et citatior eius motus, quo per vasorum alueos agitatus currit, sedetur et deminuatur. Cui scopo consequendo inferiunt cuncta medicamenta temperantia et refrigerantia, aliquoties de die et nocte aegro exhibenda, quorum in censum omnium potissime nitrosa veniunt numeranda, quae multis modis cum absorbentibus et praecipitantibus maritata offerri possunt. Sanguinis insolens tenacitas tum potulentis tenuioribus, largiter quotidie bibitis; tum medicamentis sine vlla exagitatione eius resoluentibus, velut blandioribus alcalinis et saponaceis, cetera, ad iustum fluiditatem redigenda est. Ad sensum maniacis excitandum ab aliquibus Medicorum vomitoria commendantur, quae, corpus vehementer concutiendo, stagnantes in cerebri vasis humores in motum profluum ciere feruntur. At vero quum eosdem quoque abundantius ad caput pellunt, cautissime cum emeticis mercandum est, ne camino, vt aiunt, oleum addatur. Alius quoque huiusmodi aegris constanter soluta et aperta seruetur perleniora purgantia, ne, ea adstricta, sanguis maiore copia

D 2

ad

ad capitis vasa ruat. Summis etiam laudibus quidam Medentium efferunt hydrargyrosin ad maniam curandam, omnibus aliis in usum eo consilio vocatis medicamentis nihil omnino obsecuturam et cessuram. Verum enim vero curatius consideraturo, persaepe hoc in morbo labore quan-
dam in visceribus occultatam, nec perspicacissimis inge-
niis patentem, delitescere, talem hydrargyrosin non per-
mittentem; praeterea humores longe copiosius abundan-
tiusque velutique cum impetu ad capitis vasa, iam nunc
inundata et obruta, ferri, mercurio saluationem ciente-
is, vel me silente, haud aegre perspiciet, quam parum
fidei huic maniae sanationi per hydrargyrosin habendum
sit; etiamsi ipse sim testis *αυτόπτης*, hoc mali aliquando hoc
remedio in foemina quadam felici euentu fuisse ablatum:
nemini tamen huius maniae curandae methodi suasor sim
atque auctor. Alii camphoram, cum nitro commixtam,
maniacis potui dandam suadent, utpote quae insigni vir-
tute refrigerandi esse proditur; multis aliis eam offerre
plane vetentibus, nec ullum alium, nisi externum eius
usum concedentibus.

§. XXIII.

Quod si vero hic morbus prouentum suum febribus
inter mittentibus, sinistre et perperam sanatis vel plane
suppressis, debet, Medenti tota mente in id potissime in-
cum-

cumbendum, vt, si fieri potest, febrem conuenienti ei
medicatione reuocet: id quod si impetrare nequit, reli-
ctam in corpore febris causam, debitum ei medicinis, aggre-
di atque inde emouere sibi curae cordique esse debeat, vt
qua sublata, ipsa mania, tanquam effectus eius, facile tol-
li poterit. Quod ad diaetam maniacis praescribendam
attinet, et quemadmodum vasis cerebri, praeter modum
inundatis ac propter ea nimium debilitatis, pristinum ro-
bur restitu possit, heic ulterius prosequi mittam, ne extra
istos dissertationis cancellos egrediar, quos egomet mihi
ipse circumdedi; omnium praecipue quum ea in cunctis
fere libris, qui de hoc malo litteris proditi exstant, legi
possint: temporis etiam angustia Musis meis impe-
ret, vt aliquando fileant huicque disserta-
tioni imponant manum ex-
tremam.

T A N T V M.



C 3

Nein,

ie ihesuus coenideit * silesi in quatuor in dicitur
Hoc tunc erat quod illo tempore hinc enoitem

Nein, keine Schande gleicht der Schande jener Erägen,
Die, ler von Lusternheit nach Beifall und nach Rum,
Stets das entehrte Haupt auf weiche Küssen legen;
Die, den betäubten gleich, im düstern Heilighum,
Der Murcia die Pflicht, zu opfern, gähnend zollen;
Um ihren Altar ja nicht gottlos zu entweihen.
Wie muß ein tropfchen Schweiß die Wang herunterrollen.
Was sag ich? — Kann es auch? — Bemerke jenen Stein,
Den die verstärkte Macht der Sonne ausgedörret.
Zit liegt er Kraftlos da. Sein Wuchs ist schnell gehemmt.
So ist auch jener Schar des Körpers Bau verzerret.
Man sieht, daß sich das Blut in jeder Röre stemmt.
Was Wunder denn; wenn der, der lange schon befrachtet
Mit Gründen andrer Art, die Seele Körper schilt,
Hier die Erfahrung selbst mit Geiz zu nutzen trachtet,
Und so den heißen Durst nach Körpern mächtig stillt.
O schaue, fauler Schwarm begeisterter Machinen;
Der Geist sei nun ein Geist oder Materie,
Schau her auf meinen Freund. Er kann zum Muster dienen,
Wie man; gesetz der Sieg sei vor die letztere,
Auch denn, den edlen Stolz, der Erägheit nicht' zu frönen,
Mit ungemeiner Macht in sich empfinden kann.
Sieh' ihn durch Fleiß und Schweiß den wolgerathnen Sonen
Hygäens zugezält. Die saure Müh', bergen

Mit

Mit feichend matter Brust, mit dikkem Aug' zu steigett,
 War täglich sein Geschäft. Ein unverdroßner Muth,
 Vom Rume unterstützt; ein Feuer, ihm fast eigen,
 Verzehren vor ihm her der Sorgen schwarze Wuth.

So dringst Du mit Gewalt der sichern Ehr' entgegen,
 O Freund; und sie führt Dich in ihren Tempel ein:
 Um den verdienten Schmuck um Haupt und Brust zu legen;
 Um ruhig nun durch Dich, durch Dich geschützt zu sein.
 Läß, Freund, den Eisern nie vor sie entkräftet werden.
 Folg' ihren Reizen nach. Doch, merk auf ihr Gesicht.
 Oft kleidt der falsche Rume in ähnlichen Gebärden
 Sein fakes Antliz ein. Doch, ein erhabners Licht
 Erhebt der, der Du folgst, die blizend hohe Röthe,
 Die ihre Wangen färbt. Sie achtet keine Müh';
 Auch selbst Verachtung nicht, die ihr ein Träger boste.
 Dis, Freund, bemerke wol. Hieran erkennst Du sie.

Hermann Friedrich Weizenborn,

aus Schwedischpommern,

d. G. G. B.

卷之三

Digitized by Google

Diss. med. Hal.

g. 1763/64.

ULB Halle
005 379 296

3





**JAVGVRALIS MEDICA
DE
RBIS
ICO - MANIACIS**
 QVAM
MINIS AVSPICIIS
ET
ORVM ORDINIS INDVLTV
DV DOCTORIS
 ET CHIRVRGIAE
 SCIENTIA HONORBVIS ET PRIVILEGIIS
 S RITE CAPESSENDIS
 MARTII A. CLO IO CC LXIII
GIA FRIDERICIANA
 HIS LOCO EXHIBET
 ET
 VDITORVM CENSVRAE
 OFFERT
CTOR
ASHIRSCHEL,
 ROLINENSIS.



MAGDEBVRGICAE,
 NA VESTERIANA.

B.I.G.

Blue Cyan

Green Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Inches
 Centimetres
 1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 8